



337

Vectibus et tetri con fractis prorsus Averni
Abstulit inde suos secum super astra locatos.

In rotunditate S. sepulchri sic erat scriptum :

Vita mori voluit et in hoc tumulo quievit,

Mors quia vita fuit, nostram victrix abolevit.

Nam qui confregit inferna, sibi que subegit,

Ducendo que suos fortis dux ipse cohortes

Atque triumphator hinc surrexit leo fortis,

Tartarus inde gemit, et mors lugens spoliatur.

Dispositio montis Calvariae ejusque brevis delineatio.

Mons Calvariae post sanctum dominicum sepulchrum tenet in dignitate et sanctitate locum secundum. Ideo quamvis supra fol. 117. B. ejus descriptio habeatur, hic tamen propter ordinem et quaedam alibi omissa rememoratur. Pro quo notandum, quod mons Calvariae, vel Golgatha, locus est ad septentrionalem plagam montis Sion, et est differentia, quando dicitur mons Calvariae, et scopulus vel rupes Calvariae. Mons Calvariae continet magnam civitatis partem. Locus Calvariae est tota platea, continens totum templum. Rupes Calvariae continet tantum Christi crucem et latronum. Mons Calvariae dicitur tota illa altitudo, quae est a porta veteri, cujus pars adhuc stat, usque sursum ad ecclesiam sancti sepulchri. Est enim ascensus satis longus ab illo bivio, ubi Christus dixit mulieribus flentibus: filiae Jerusalem, nolite flere super me etc., usque ad locum crucifixionis, et superius est latitudo satis magna, in qua totum templum sancti sepulchri consistit, quod totum est mons Calvariae sive Golgatha, et illo modo ecclesia sancti sepulchri jacet super montem Calvariae. Sed rupes Calvariae est locus sive monticulus, in quo crux dominica cum Domino et duobis latronibus stetit, ut ante habitum est. Ad hanc rupem sanctissimam sunt tres ascensus. Primus est de ecclesia golgathana, a loco, ubi est medium mundi; secundus est ab inferiori ecclesia sancti sepulchri; et tertius est ab atrio templi exteriori. Et hunc ascensum Sarraceni obstruxerunt, sicut et alia templi ostia, ne quis sine eorum scitu posset in ecclesiam venire. Est ergo rupes Calvariae petra crucis; et mons Calvariae tota altitudo a domo

352

350

356

346

361

341

401

301

451

251

Ende

Anfang